



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vera Sapientia Virtute Et Tranquillitate Animi Enchiridion DD. Evcherii Lvgdvnensis, Martini Bracarensis, & Magni Wigonis, Antistitum

Eucherius <Lugdunensis>

Martinus <Bracarensis>


Magnus <Wigo>

Monachii, 1639

Amice Lector.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10188

AMICE LECTOR.

 *V*arenda sunt media
Pacis interna, quan-
do externa reperiri
non potest. Sine illa, si externa
pax etiam sanctissima sit, mi-
seri sumus: cum illa, in medijs
belli fluctibus, tuta est melior
nostra substantia. Eam in sto-
icis persuasionibus aliqui collo-
cant, quasi mala non sint ea, quæ
in sinistrum nobis accidunt. Sed
Veritas Diuina mala esse resta-
tur, utpote propria effecta pessi-
me rei, Peccati. Et mentiuntur
in cutem collumque suum, qui
dicunt, se in mortario contusos
nihil mali sentire, aut incundo
id animo ferre. Quod cum sit
opus Gratia Christiana, certè
A 2 sumus

sumus, illos, alienos à Deo, id
minimè posse; ac dolores impo-
tentis animi vento textili tege-
re. Atq; illud Phrygis, quàm cō-
tumeliosum figmentum est, ia-
cturam vxoris & liberorum
non aliter accipiendā, quàm
si infanti protritæ fuerint,
quibus delectabatur, co-
chleolæ? Et has tamen vanissi-
mas phantasias, ridiculus oppo-
suit Apostolorum doctrina, per-
suadere volens, eandem animi
pacem stabiliri posse per illas,
quam videbat à Christianis in-
ter aduersissima teneri, virtute
Celestis Veritatis, & Gratia.
Apoge sis istos Phantasos. Ne-
que enim afferunt animi pa-
cem, sed auferunt; dum inueni-
non

nonnulla, verè scite'que dicta,
supercilioforum errorum vene-
na suffundunt. Possunt, inquis,
ea seligi, quæ bona sunt, & ab
iniustus possessoribus vindicata
in usum conuerti. Vis ergo co-
lare sentinam, cum habeas fon-
tes? Innoxie Pantheum Genti-
lium in eadem Christianam con-
uersum est: quod parietes illi
falsas religiones non oleant, ne-
que commendent. Possunt etiam
obscœnarum cantilenarum soni
ad res pias traduci; sed non per-
inde innoxie: quod prauas et-
iam tunc imagines cieant. Idem
de Stoicorum crepitaculis habe.
Semper imbuunt fastu, ut om-
nia, præter tibi Visa, conte-
mnas. Et quia equè proni sumus

ad superbiam, atq; ad voluptates, vide, an non aequè remouenda sint ab auribus blanditiis profanarum gnomarum, ac modulorum. Denique absoluta est S. Augustini sententia, Philosophos, qui, suam sapientiam baccis crepantibus vendentes, dicere audent: Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beatè viuere, tanquam latrones non intrare per ostiū, sed perdere velle: mactare & occidere. Nimirum proserpens bestia, quamuis non voluntate, tamen venenati oris acumine ledit. Ergo vt Philosophos absoluamus a voluntate nocendi; condonemus etiam inanē ostentationem ingenij, & verbose
vir-

virtutis ; nihilominus argutias
eorum suspectas habemus , quòd
animi ventrem inanijs imple-
ant : & vera media Tranquil-
litatis interne à sapientia Chri-
stiana petenda contendimus :
qua pestem , pauperiem , bella ,
mala esse fatetur , nec puerilia ;
sed melioribus ea , verisque me-
dicamentis in bonum conuertit.

Qua quia grauissimè solidis-
simèque inter alios , proponunt
S. Martinus Episcopus Braca-
rensis , & Doctissimus Wigo ,
seu Guigo , magnam à S. Ber-
nardo , equali suo , laudem con-
secutus ; eorum tibi libellos of-
ferimus , exemptos è magna
Bibliotheca Patrum : quorum
alter docet beatè , alter bene vi-

A 4 uere ;

uere; sine quo beatè non licet.
Premissimus utrique Paranesin
S. Eucherij, Lugdunēsis Episco-
pi, Cognatum suum Valerianū
ad veram sapientiam incitan-
tis, Vixit ante Gregorij M. tem-
pora; Vir, ut memorat grauissi-
mus eius spectator Claudianus,
Viennensis Episcopus; Viridis
æui, maturus animi, terræ de-
spuens, cæli appetens, humi-
lis spiritu, arduus meritis, in-
genij subtilissimus, scientiæ
plenus, eloquij profluus, ma-
gnorum sui sæculi Pontificū
longè maximus Eucherius.
Tu, cum legeris, releges; dicēs q̄,
nos tibi nō fabas apposuisse, ven-
tosum legumen; sed solidum ani-
mi cibum, verum sustentacu-
lum vitæ. D.